curare curat non in temporalibus nec
in spiritualibus. Quibus prime Johannis
3o dicitur: Qui habuerit substantiam huius
mundi et viderit fratrem suum necessitatem
habentem et clauserit viscera sua
ab eo quomodo caritas
dei manet in illo qui dicit quod
non. Unde Eph. 4o: Supportantes
invicem in caritate. Supportat quis
corpori necessaria exhibens et devotis
orationibus pro alienis delictis quibus
in eis est deum mitigans. Legitur
enim apud antiquos tantam fuisse
erga proximos dilectionem quod pro salute
proximorum non solum orare verum
etiam quecumque flagella tollerare
disponebant. Unde dicitur in libro qui
paradisus dicitur et legitur de serapione
qui alio nomine dicitur Syndonius
quod se vendidit paganis
precio 20 solidorum et eis servivit
donec ipsos ad legem christianam convertit.
Cumque igitur ab eis recederet pecuniam
restituit. Illi autem suadebant ut
pauperibus eam daret sed ipse renuit dicens: date eam vos, mea
quia non sed vestra est. De eodem
etiam legitur quod manicheo cuidam
se vendidit cui servivit et tandem
eum convertit. Si igitur priores corpus
pro salute proximorum veteres exposuerunt nos merito et pro amplioribus impendere debemus. Unde
apostolus 2a Corinth. 12o dicebat: Ego libentissime impendam et superimpendar pro animabus vestris. Nempe fas est ut
advertamus quomodo abraham

semper sollicitus fuit altare domino
edificare cuius et nomen invocare.
Sic vir orans preces domino infundere sollicitus esse debet. Quod laudatur
teste Augustino epistola 121: Oratio
beatam vitam facit quam omnes
appetunt. Quid enim aliud est
orare nisi quod cupiunt omnes. Et
subdit: Oratio inquit plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus
fletu quam affatu. Absit in oratione
multa locutio. Unde Job 31 dicebat: Quis mihi tribuat adiutorem
ut desiderium meum omnipotens
audiat. Super quo Gregorius
2o moralium: Vera inquit postulacio non est in oris vocibus sed in
cogitationibus cordis apud aures
dei non faciunt verba sed desideria.
Ideo de moyse exodi 14 dicitur:
Quid clamas ad me qui dicat
Quid clamor prodest. Et de anna primo Reg. 1o dicitur quod orabat
et non loquebatur. Unde Math. 6o:
Intra cubiculum tuum clauso ostio
ora patrem tuum. Ita in vitas patrum parte 3a narratur quod Julianus apostota misit quendam demonem ut portaret ei quoddam
responsum qui demon transiens
per locum ubi erat publicus monachus ulterius transire non
potuit eo quod dictus monachus orabat quod cum audisset Julianus
cito interemptus est. Oratio igitur
demonem eicit atque superat. Debemus igitur sine intermissione orare

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs161/0212
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg